



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Qualiter à consortio secularium se subtraxit. VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

res, de bono & prudenti viro tam insana verba loquuntur? Numquam tam sapiens & sensatus esse cepit, sicut modò cum seculi vias fugiens deserit, & Deo in spiritu humilitatis seruire intendit. Quam felix foret, qui imitari veller, nec bene agenti insultaret? Si in hoc bono perstiterit, multorum erit ipse causa bonorum.

CAPVT VI.

Qualiter à consortio secularium se subtraxit.

Ed ne semen sanctum in corde viri Dei plantatum, à trā-
euntibus tecus viam conculcetur, aut à volucris cæli non opertum carperetur, ne etiam lumen accensum leui flatu extingueretur, sed potiùs sub modio latens seruetur, & pinguedine internæ deuotionis nutrire, vel ne recens & fragilis arundo, vanitatis aura pulsata, ad terram mox flecteretur, sed virtute firmaretur ex alto: elegit humilis magister ad tempus latere, & ab humanis aspectibus secularium que colloquijs se cautè segregare; à cunctis quoque mundi curis animum solvere, soli Deo & sibi liberè vacare, vt primò in se disceret, quod postea docturus erat; quatenus diuina dulcedine prægustata, æquanimiùs ferret pro veritate aduersa, nec diabolica pertimeret tentamenta ipsi aduentura.

1. Secessit igitur à ciuitate sua, & de domo paterna, venitque in partes Geldriæ, ad religiosos fratres Carthusienses in Monichusen, in Christi charitate sibi dilectos. A quibus reuerenter susceptus, cellam accepit, vt hospes amādu, quam lætus & desideranter ingrediens, cum beato Petro, in mentis excessu ait: *Domino bonum est nos hic esse.* Ibi nāque recollegit cordis sui dispersiones; ibi veteris vitæ deterfit rubigines, arque interioris hominis imaginem reformauit ad purum. Ibi insurgentes passionum motus ieiunando vigilandoque confregit, & dæmonii varios insultus orando flectendoque deuicit, loquens cum sancto David: *Ecco elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Expectabam eum, qui saluum me fecit, à pusillanimitate spiritus & tempestate.* Vidi & ego habitationis eius locum, in quo lucerna Dei & amicus omnipotentis ad tempus latuit, donec super candelabrum poneretur, vt omnibus lucis exempla monstraret.

Psal. 54.

CAPVT